Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 1081
Quelle:
Copyright:

nica hoc initio: *Diz recept wart gesent dem pabst. Wil der gnesen der dy Druese* (ulcus, apostema) *bat er sol nemen Drioco* (Theriacam) *1. S. vnd senffsomen vnd holder pleter leg es vf dy peulen, vnd mag er dy dinge nicht gehaben zo sol er nemen rawten vnd essich gestosen das gelegt vf di schoden zo wirt ym pesser.* Ita contra Pestem varia, contra tussim, surditatem &c. Enumerantur etiam lingua latina, quae prosunt et officiunt Corpori per partes v. g. Cerebro, oculis, auribus &c. Denique docetur confectio *Incausti* seu Atramenti.

III. *fol.* 31. Fragmentum *Enchiridii S. Augustini* ab his C. 103. verbis: *Quid est enim eorum unde non deus per vnigenitum suum* &c. usque ad finem, ubi habes: *Explicit liber Enchiridion Sancti Augustini Episcopi Scribens Laurencio cupiens illum esse sapientem secundum sacras scripturas Domini Johannis predicatoris Theutunicalis in Luthomicz.* Additur *punthsuch*, id est *Bundschub*, triviali proverbio germanico pro *et cetera* et similibus abrumpendi formulis, cujus originem etiam dum quaero; neque enim satis apte cum Rusticorum factionibus Sec. XV. exortis, et *Bundschub* dictis cohaerere videtur.

IV. *fol.* 33. absque titulo incipit *Hugonis de S. Victore* Opus *de Claustro Animae* a Praefamine, quod in Edit. *Rotomag.* 1648. T. II. p. 60. praeit *Librum* II. *Locuturus karissime de iis que ad edificationem claustri pertinent materialis* &c. Mira in toto Exemplo non *Capitum* solum, sed ipsorum IV. *Librorum* confusio, quae etiam ad *fol.* 30. ante Fragmentum *Enchiridii* regredi cogit, firmatque suspicionem, non ea cura et pensitatione, neque eo exemplarium delectu et inter se contentione factam esse Editionem illam *Rotomag.* quam a *Victorinis* fratribus suis expectare poterat doctus et pius noster *Hugo.* Inter alia *fol.* 44. p. 2. sub Rubrica: *Incipit tercia pars. quod ypocrita in congregatione fructu societatis priuetur;* habentur VII. *Capita* de *Hypocrisi*, quae in tota illa Editione non reperi. Consulendus itaque foret hic Codex de nova Editione consilium suscepturo.

V. *fol.* 56. *Regula breuis christianorum in omni statu.* Addit alius: *in concilio celebrato constantie modernis temporibus est hoc editum.* Initium: *Incipit modus viuendi. Et prima Regula ad nobiles potentes et scabinos spectat hec.* &c. Cur non addidit ille Autorem *Joh. Gersonium*, cujus *Opp.* edit. *Antverp.* (dic *Amstelod.*) T. II. P. 4. p. 538. succincta haec Commonitio prostat.

VI. *fol.* 57. reditur ad *Medica*, et 1) proponitur Remedium Pestilentiae. 2) enumerantur Virtutes *Aque vite scilicet Vini ardentis* (Branntwein) contra varios morbos. 3) Docetur germanice Confectio alicujus Liquoris, *eines edlen Wassers* e Vino, herbis et aromatibus, ejusque varius usus declaratur.